



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Reliqua ejusdem Doctoris argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

objectum, & actum esse in re honestum, ideo sunt in re honesta; potest enim hoc ipsum passim esse falsum, ut constat, quoties utraque contradicens est suis Patronis probabilior, aut moraliter certa, una unis, alia aliis.

N. 15. *Fogar. Palanc.* Dixi, moraliter certa; ut morem gerem huic triviali certitudini morali, quam respectu cuiusque opinionis propria tribuunt cuique suo Patrono Fogarinus, Palanco, & alii; sed non nisi ad libitum. Igitur per me ad honeste formaliter operandum satis est solum iudicium reflexum certum de probabilitate honestatis objecti, & actus. Ita per hoc, quod mihi sit evidenter probabile hunc hominem esse meum patrem, vel legem jejunii existere, scio me honeste operari jejunando, & cum venerando; etsi non sim directe certus, quod hic homo sit meus pater, & quod detur lex jejunii. Sicut ergo, ut sim certus meam obedientiam erga talem hominem, aut legem esse formaliter honestam, non est necesse, ut sim certus de paternitate talis hominis, & de existentia legis jejunii, & de honestate materiali, seu objectiva actus obedientiae; adeoque necesse non est, ut certus sim de veritate logica huius iudicii, *Hic homo est meus pater: Datur lex jejunii*; nec necesse est, ut detur mutua conformitas inter iudicium, & objectum, ut in re; nec quod actus ille obedientiae sit in re honestus; sed satis, ut mihi sit evidenter probabilis materialis honestas eorum actuum, & materialis paternitas, & existentia legis jejunii: ita in omni alio casu, ut honeste formaliter operer, satis erit, ut sim certus de probabilitate, aut probabilioritate honestatis objectivae, etsi sim incertus de eadem honestate objectiva.

N. 16. Dices: Ergo incertus sum de honestate objectiva. Distinguo: sum incertus, seu potius strictè dubius, nam suspendo omne iudicium directum, concedo; sum incertus reflexè, & mediatè, nego: nam concipio iudicium evidens de probabilitate honestatis objectivae, quod equivalenter est iudicium directum de honestate objectiva, aut saltem movere potest ad illud. Ut autem homo honeste formaliter operetur, satis est ipsum iudicium reflexum certum de probabilitate; hoc enim posito, certus sum de probabilitate honestatis objectivae, etsi non sim certus de honestate objecti, & actus; neque enim, ut honeste formaliter operer, requiritur, ut certus sim de honestate objecti, & actus.

N. 17. Ad confirm. patet ex modo dictis; nego enim necesse esse, ut sim directe certus de honestate operis, ut formaliter honeste ope-

rer, imò talis certitudo inter hinc inde probabilis est speciosa chimara: satis ergo, ut reflexè certus sim de probabilitate honestatis operationis, vel ut directe certò probabiliter iuvicem opus illud esse honestum.

§. II.

Reliqua ejusdem Doctoris argumenta.

SUMMARIUM.

Arguit, quia objectum voluntatis in quod form debet, non est probabilitas, sed honestas, n. 18. 19.

Retorqueo paritate Confessarii, & obedientis, n. 20.

Formalis regula honestatis per me est, non tantum iudicium directum, sed reflexum, & voluntas tendit in probabilitatem, & in honestatem, n. 21. 22. 23.

Objectum voluntatis non tantum est bonum certò, sed etiam probabiliter honestum, n. 24. Non est necesse, ut quilibet formaliter objecti voluntatis honesta sit, satis ut objectum sit honestum, n. 25.

Arguit, quod idem actus esset honestus, & inhonestus ex probabilitate honestatis, & inhonestatis, n. 26. 27. 28.

Hoc argumentum antiquum, n. 29.

Arguens sibi contradicit, nam argumentum proponit simultaneam probabilitatem, quam ipse negat, n. 30. 31.

Etsi operans habeat ea duo iudicia modalia, non dirigitur nisi ab uno, n. 33.

Palanco suo argumento tenetur, & sibi contradicit, n. 34.

Dico, quod etsi adsint ea duo iudicia reflexa, illud tantum est regula, cui voluntas eligit conformare actum, n. 35.

Et aliud iudicium se habet pure speculative, n. 36. 37.

Et in manu voluntatis est formare ultimum dictamen, vel de licentiâ, vel de non licentiâ, n. 38. 39. 40.

Objicies 3. ex Palanco qu. 34. n. 20. N. Cognitio, quae est formalis regula moralitatis, est illa, quae proponit voluntati palanc. objectum, in quod tendere debet, & sub motivo sub quo tendere debet: sed probabilitas, aut probabilioritas honestatis non est motivum, in quod voluntas tendere debet, quia voluntas non debet velle probabilitatem, neque hæc est motivum proprium voluntatis: ergo sola cognitio directa honestatis objectivæ est formalis regula moralitatis formalis; etsi ea cognitio sit tantum probabilis, seu probabiliter certa de honestate objecti.

objectivā, non autem sufficit cognitio de probabilitate honestatis objectivæ.

N. 19. Confirmat; quia iudicium de probabilitate honestatis proponit in recto probabilitatem, non honestatem: sed iudicium formaliter, & immediatè regulans actum voluntatis debet proponere in recto honestatem objectivā, quam solam voluntas querere tenetur, & non probabilitatem: ergo iudicium formaliter regulans actum voluntatis non sufficit, quòd sit iudicium de probabilitate honestatis, sed requiritur, quòd sit iudicium de honestate ipsā in recto.

N. 20. Sed contra 1. quia huic, & adductis, & adducendis objectionibus resistit utraque irrefragabilis paritas Confessarii, & obediētis: hoc enim ultimum iudicium, *Licetum est mihi huic poenitentem absolvere*, nititur his pramissis: Quoties Confessario est certò probabilis opinio poenitentis, toties potest eum licite absolvere; sed Confessario est hic, & nunc certò probabilis opinio huius poenitentis: ergo potest eum licite absolvere. Ecce Confessor non dirigitur ad absolvendum à iudicio de veritate, sed de certā probabilitate veritatis opinionis poenitentis. Idem dico de obediēte, qui ad obediendum dirigitur partialiter saltem à iudicio de certā probabilitate veritatis opinionis Superioris: ergo omne argumentum inutile.

N. 21. Contra 2. quia hoc argumentum ostendit, quòd voluntas tendere non possit in objectum honestum directè cert 1. Quæro enim, an tunc tendat in certitudinem, an in solam honestatem? Si in solam certitudinem, quæram iterum, cur certitudo honestatis, non autem probabilitas honestatis possit esse objectum voluntatis? Si in utrumque, atque adeo honestas proposita ut certa ab intellectu potest esse objectum voluntatis, rogabo: cur voluntas non poterit etiam tendere in utramque, nempe in probabilitatem, & in honestatem? atque adeo honestas proposita ut probabilis ab intellectu esse poterit objectum voluntatis.

N. 22. Ad argumentum directè dico, quòd, juxta me, proxima, formalis, & immediata regula honestas formaliter electionis non tantum sit iudicium directum certò probabile, probabilius, aut moraliter certum, aut evidens de honestate objecti: nam, ut dixi, volitio operis possit sub eo iudicio directo certò probabili, aut probabiliori de honestate operis est formaliter honesta, & regulatur immediatè ab eo iudicio directo, subjectivè certò probabili, aut probabiliori de honestate operis, & objecti; sed nuper volo, quòd certum reflexum iudicium de objectivā

probabilitate honestatis possit sæpe esse formalis, proxima, & immediata regula electionis objecti: etenim non tantum honestè formaliter operor, cum volo objectum sub iudicio subjectivè probabili, aut probabiliori de honestate materiali; sed etiam, dum volo objectum sub iudicio reflexo certo de probabilitate, aut probabilioritate honestatis materialis, suspenso omni directo subjectivè probabili, aut probabiliori de honestate; ita ut non tantum valeat, Hoc est probabiliter, aut probabilius licitum, ergo licet; etsi per iudicium subjectivè tantum probabile, vel probabilius iudicem illud esse licitum; sed etiam valeat, Hoc est certò probabile, aut probabilius esse licitum, ergo licet.

Ratio est; quia si probabilitas intrinseca, & intransitiva ipsi iudicio directo probabili, (idem dico de probabiliori) *Hoc licet*, non impedit; imò immediatè dirigit ad volitionem formaliter honestam sui objecti, ut vult Palanc. 2. 2. ignoro quomodo ipsa certa probabilitas (idem dico de probabilioritate) honestatis ipsius iudicii directi cognita per modum objecti, aut ipsum motivum certò probabile (sufficiens ad iudicium directum subjectivè probabile) cognitum per modum objecti à iudicio reflexo, non possit esse regula objectivā? ipsumque certum iudicium reflectens supra eam probabilitatem honestatis non possit esse regula formalis, & immediata electionis objecti cogniti, ut certò probabiliter honesti?

In formā dico, quòd objectum voluntatis non tantum sit bonum certò honestum, sed etiam bonum probabiliter honestum. Ut autem Palanco videat suum æquivocum, attendat, quòd etsi albedo Petri, & Petrus albus differant grammaticaliter, non tamen quoad potentiam visivā; nam oculus non tantum tendit in Petrum album, quantum in albedinem Petri: ita in casu nostro, etsi probabilitas honestatis, & honestas probabilis differant grammaticaliter; attamen non differunt quoad voluntatem: non enim bonum, seu objectum voluntatis est honestum ut sic, sed omnia individua honesta; atque adeo non tantum honestum propositum ut certum, sed etiam honestum propositum ut probabile. Omitto instantiam de certitudine paulo antè allatam.

Ad confirm. quæro, an iudicium propositum in recto certitudinem honestatis possit esse formalis regula volitionis tendentis in objectum directè cognitum certò honestum? Si negat, gratis negabit, imò non fiet questio nisi de nomine; nam respectu voluntatis idem est certitudo honestatis, ac certa

certa honestas; ipsa enim certitudo, & bonum, in quod voluntas tendere potest, siue *in quo*, siue *ut quod*, quod modo parum curo. Si affirmat, idem dicam de probabilitate honestatis; nam idem est respectu voluntatis probabilitas honestatis, ac honestas probabilis, ipsaque probabilitas est bonum, in quod voluntas tendere potest; si enim voluntas tendere potest non tantum in praesentiam, & certitudinem boni, & honesti, sed etiam in probabilitatem, multo magis in probabilitatem ejusdem boni, & honesti. Addo, quod sicut, dum voluntas tendit in bonum certo honestum, satis est, ut objectum sit realiter honestum, non autem necesse est, ut quaelibet formalitas abstracte sumpta sit honestas; non enim certitudo est honestas; & sicut, ut voluntas honeste formaliter operetur, necesse non est, ut quaelibet formalitas objecti honesti, in quod tendit, sit honesta; sed satis est, ut objectum illud sit realiter honestum: ita in casu nostro, etsi probabilitas non sit honestas, attamen voluntas tendens in objectum cognitum, ut certo probabiliter honestum, revera honeste formaliter operatur.

N.
26.
Palanco.

Objicies 4. ex eodem ibid. n. 21. Si satis esset iudicium de objectiva probabilitate honestatis, maxime quia probabilitas honestatis esset regula objectiva honestatis; hoc est falsum: ergo. Minor probatur; quia si probabilitas honestatis esset regula objectiva honestatis, idem actus voluntatis esset simul honestus, & inhonestus: honestus, quia probabile est, quod tale objectum sit honestum; inhonestus, quia probabile est, quod sit verum: ergo idem actus voluntatis esset simul honestus, quia juxta regulam, nempe juxta probabilitatem honestatis; & inhonestus, quia esset contra regulam, nempe probabilitatem de inhonestate talis actus: ergo dici non potest, quod probabilitas honestatis objectivae, sit regula objectiva honestae operationis.

N.
27.
Palanco.

Confirmat 1. quia regula debet esse talis, ut qui juxta illam operatur, recte operetur; & qui contra illam operatur, prave operetur: ergo si probabilitas esset regula objectiva, talis esset, quod qui juxta probabilitatem operaretur, recte operaretur; qui autem contra illam, prave operaretur: sed, juxta nos, saepe accidit eundem actum voluntatis tendere juxta, & contra probabilitatem, ut cum simul est probabile, objectum esse honestum, & esse inhonestum: ergo, juxta nos, saepe accidit, nos simul recte, & prave, honeste, & inhoneste operari: ponendo eundem actum.

Confirmat 2. n. 22. Si iudicium de probabilitate honestatis sufficeret, ut regula formalis ad honestandum actum, iudicium de probabilitate inhonestatis sufficeret etiam, ut regula formalis ad inhonestandum actum, cum non sit necessaria maior, immo minor cognitio inhonestatis objecti, sufficit ad inhonestandum actum: ut enim actus evadat formaliter inhonestus, satis est, ut ponatur sub cognitione turpitudinis objecti; ut autem evadat formaliter honestus, non sufficit cognitio dubia de honestate objecti, sed requiritur determinata; nam malum ex quolibet defectu, bonum ex integra causa: sed, juxta nos, datur simul in intellectu iudicium certum de probabilitate honestatis objecti, & iudicium certum de probabilitate inhonestatis objecti: ergo si utrumque iudicium est regula, voluntas tunc tendens in illud objectum, recte simul, & prave, honeste simul, & inhoneste operabitur: ergo non sufficit pro formali regula iudicium de probabilitate honestatis, etsi sufficiat iudicium probabile de honestate. Aliud enim est iudicium probabile de honestate, aliud iudicium de probabilitate honestatis; potest enim simul in intellectu dari iudicium de probabilitate honestatis, & iudicium de probabilitate inhonestatis; immo idem iudicium utrumque probabilitatem affirmans: implicat tamen in eodem intellectu duplex iudicium probabile, unum affirmans probabiliter honestatem, aliud negans; & multo magis implicat, ut idem intellectus unico actu simul probabiliter iudicet objectum esse honestum, & esse turpe: ergo ex eo quod iudicium probabile sit regula honestatis formalis, non sequitur allatum inconveniens, quod idem actus esset simul contra, & juxta regulam. Ratio est; quia iudicium probabile de honestate objecti excludit iudicium probabile de inhonestate ejusdem; ergo vel quis operatur cum iudicio probabili de honestate objecti, & tunc formaliter honeste operatur; vel quis operatur cum iudicio probabili de inhonestate objecti, & tunc inhoneste formaliter operatur; non enim cum utroque simul operari potest, quia simulatas utriusque repugnat. Hec Palanco.

Fateor hoc esse praecipuum, quod in nos fieri potest, argumentum; at simul fateor, non esse longe antiquius Palanco, nam illud trahit Candidus, immo cuique est obvium, & tota difficultas stat in eo, quomodo pingens non peccet, cum simul habeat haec duo iudicia modalia, Certe probabile est pingentem non peccare: Certe probabile est pingentem non peccare; atque adeo etiam pingens non peccat: prout.

prout conformatur huic iudicio modali, *Certo probabile est pingentem non peccare*; attamen videtur peccare; prout difformatur alteri iudicio modali, *Certo probabile est peccare*, per quod iudicium vetatur pictura. Revera tamen est prorsus imbelles hoc argumentum, immò non est contra me. Nam ego dico licitum operari sub solo iudicio reflexo de certa probabilitate non honestatis, suspensio omni directo, immò & reflexo de certa probabilitate non honestatis: ergo non est contra me.

N. 31. Quia tamen, si non est, potest revera esse contra me: nulla enim est difficultas, quòd simul stent, juxta nos, duo iudicia certa reflexa, unum de probabilitate honestatis picturae, aliud de probabilitate inhonestatis picturae; ideo a me solvendum. Unum tamen præterire nequeo, me nescire, quomodo Adversarii negantes posse simul esse eadem intellectui probabilem utramque contradictoriam, utantur eo argumento contra nos. Possunt quidem admittentes simultaneam utriusque contradictorii probabilitatem, eo argumento contra nos uti; at qui hoc negant, eo uti nequeunt, nisi nostra principia supponant, ut vera. Qui enim dicunt simul esse ea duo iudicia reflexa certa, *Probabile est picturam licere*: *Probabile est non licere*, eo ipso supponunt simultaneam utriusque contradictorii, seu de licentiâ, & non licentiâ picturæ, in eodem intellectu probabilitatem.

N. 32. Modò ad argumentum fateor 1. composibilia esse hæc duo iudicia certa, *Probabile est picturam licere*: *Probabile est non licere*, non enim sunt opposita; nam ambo sunt affirmativa de modo: econtra hæc duo, *Licet pictura*, *non licet pictura*, etsi tantum sint probabilia subjective, non esse composibilia, quia sunt contradictoria.

N. 33. Fateor 2. quòd qui dirigitur ad pingendum ab hoc iudicio certo reflexo, *Probabile est picturam licere*, honestè tantum operetur, non autem inhonestè; quia etsi habeat, vel habere simul possit aliud iudicium modale, *Probabile est picturam non licere*; attamen non dirigitur ab hoc, sed ab illo solo; hoc autem merè speculative se habet; nam ad volitionem pingendi formaliter honestam dirigitur ab his præmissis: Omne certo probabile est formaliter licitum, & honestum, sed volitio picturæ est certò probabilis de honestate actus, ergo est formaliter licita, & honesta. Neque enim tunc habet duo conscientie dictamina, puta: *Ergo volitio picturæ est formaliter licita, & honesta*: *Ergo volitio picturæ nec est licita, nec honesta formaliter*; sed illud

Tom. III.

tantum habet, non hoc; quia voluntas se determinat liberè ad illud præ hoc.

Fateor 3. suomet argumento Palancum N. involvi, immò sibi contradicere: involvitur, nam quæro, cur potius quis formet hoc iudicium directum subjective probabile, *Licet pictura*, quam hoc aliud subjective probabile, *Non licet pictura*, cum simul habeat ea duo iudicia modalia, *Certo probabile est picturam licere*: *Certo probabile est picturam non licere*? Rogo enim à quo intellectus determinetur potius ad hoc, *Licet pictura*, quam ad hoc, *Non licet pictura*? Tota enim ratio in libertatem voluntatis refundenda erit; nam ex parte intellectus, si adest certa probabilitas licentiæ movens ad hoc iudicium directum subjective probabile, *Licet pictura*; adest quoque certa probabilitas non licentiæ movens ad hoc iudicium directum oppositum subjective probabile, *Non licet pictura*: ergo tota ratio determinans intellectum ad hoc præ illo iudicio directo est voluntatis imperium. Sibi contradicit, tum quia, cum alibi mordicus negasset simultaneam in eodem intellectu utriusque contradictorii probabilitatem, modò, ut contra nos arguat, eam nobiscum admittit: ergo non potest contra nos arguere, nisi neget suum de repugnantia simultaneæ probabilitatis principium. Tum quia, cum alibi quoque robuste neget, licitum sequi æquè, aut minùs probabilem, format in præfenti argumentum de æquali probabilitate, & supponit licitum sequi minùs, aut æquè probabile extremum; nam dicit, quòd si satis est reflexum de probabilitate iudicium, honestè simul, & inhonestè operabitur, quia cum reflexo de probabilitate honestatis stat aliud reflexum de probabilitate inhonestatis; atque adeo sicut uni regulæ conformatur, ita alteri difformatur: sed hoc argumentum nullam vim habet, nisi supponat licitum sequi æquè, aut minùs probabile; hoc enim negato, nullam vim habet, nam dici potest, quòd vel utrumque reflexum de probabilitate iudicium est de æquali vel de inæquali probabilitate. Si de æquali; tunc sicut ex æquè probabilibus nõ licet sequi nisi tutiorem, ita non nisi iudicium reflexum de probabilitate tutioris erit regula formalis, non autem aliud de probabilitate minùs tutæ: si de inæquali; tunc sicut ex inæqualiter probabilibus non licet sequi nisi probabiliorē, ita ex illis iudiciis reflexis supra probabilitatem illud tantum erit regula, quod supra maiorem, non quod supra minorem probabilitatem reflectit: ergo ut ejus argumentum aliquam habeat in nos vim, debet arguens retrocedere

ff

dere

dere à suis principiis, de non licito usu minus tutæ, æquæ, aut minus probabilis; & de impotentia intellectus, ut assentiatur minus probabilis; & debet subscribere nostris de licito usu cuiusque certo, sive magis, sive æquæ, sive minus probabilis; & de potentia intellectus, ut assentiatur æquæ, aut minus probabilis.

N.

35.

In formâ concessâ maiori, nego minorem. Ad probationem nego antecedens; & dico, quod licet simul adesse possint duo iudicia reflexa, unum de probabilitate honestatis, aliud de probabilitate non honestatis, illud tantum est regula proxima, cui voluntas conformatur actum; non enim velle potest conformare utrique, sed alterutri; ergo actus erit vel tantum honestus, si dirigatur à solo iudicio reflexo certo de probabilitate honestatis, vel tantum inhonestus, si dirigatur à solo iudicio reflexo certo de probabilitate inhonestatis. Est autem in manu voluntatis conformare actum, cui voluerit, ex illis iudiciis reflexis, sicut, juxta nos, est in manu voluntatis elicere hoc, aut illud iudicium directum conforme uni, & disforme alteri iudicio reflexo. Hoc enim iudicium directum, *Licet pictura*, est conforme huic reflexo, *Certo probabile est licere picturam*; non autem huic, *Certo probabile est non licere picturam*.

N.

36.

Dices: In casu nostro adest utrumque iudicium reflexum certum, unum de probabilitate honestatis, aliud de probabilitate inhonestatis: ergo si volitio picturæ est honesta, quia conformatur iudicio reflexo certo de probabilitate honestatis picturæ die festo; eadem volitio picturæ erit inhonesta, quia disformatur alteri iudicio certo reflexo de probabilitate inhonestatis picturæ.

N.

37.

Nego consequentiam; quia, ut dixi, tunc format ultimum dictamen de licentiâ picturæ ex certâ probabilitate de licentiâ; aliud autem reflexum iudicium de certâ probabilitate non licentiâ picturæ se habet purè speculative, & non directive. Quod si formarret dictamen ultimum de non licentiâ ex certâ probabilitate; de non licentiâ, tunc non liceret pingere: format tamen illud dictamen prudenter, & rationabiliter ex eo quia scit nihil sibi esse vetitum, nisi certum sit esse vetitum; & quia nulla lex dubia de honestate, & inhonestate obligat ad omissionem actus; & quia quoties probabile est legem vetantem non existere, non obligat. Hinc patet evidenter, cur ex eo quia certo probabile sit licere picturam die festo, volitio picturæ sit formaliter honesta; ex eo autem, quod certo probabile sit picturam die festo non licere, ea volitio picturæ non sit formaliter inhonesta.

Ratio est, tum quia in manu voluntatis N. est formare dictamen, vel de licentiâ, vel de non licentiâ, cum certa sit probabilitas tam licentiæ, quam non licentiæ; format autem dictamen de licentiâ: ergo volitio est tantum honesta formaliter: tum quia, juxta nos, omne, quod est certo probabile esse licitum, est licitum formaliter; non ita omne, quod est certo probabile non esse licitum, non est licitum formaliter; nam in casu probabilitatis certæ tam pro lege, quam pro non lege, possidet libertas: tum quia nihil nobis est vetitum, nisi ita sit certo vetitum, ut non sit certo probabile, non esse vetitum, quia lex dubia non potest vincere certam libertatem: sed quod est certo probabile non esse vetitum, non est certo vetitum; ergo licet certa sit probabilitas non licentiæ picturæ, adhuc tamen non est certa non licentiâ picturæ: ergo volitio picturæ non potest esse formaliter illicita. Vide quæ dixi *disp. 24. sect. 2. §. 1. ad finem de Leg. clari*, immo vide, quæ dixi *disp. 23. an. 193. ad 202.* ubi hoc argumentum solvi.

Instabis ex Palanco *qn. 5. an. 136.* quod N. obiectum prudentiæ debeat ad minus esse 29. exercitè probabile operanti, quod ita sit in *Palanco* re, non autem satis esse, quod sit et probabile signatè. Explicat. Tunc est aliquid probabile mihi exercitè, quando probabiliter judico illud ita esse: Tunc est probabile signatè, quando judico illud esse probabile, sed nullo modo judico illud esse verum in re: eo modo, quo doctrinam Scoti judico esse probabilem, non tamen probabiliter judico illam esse in re veram. Probat; quia obiectum prudentiæ debet esse certum operanti, saltem certitudine morali, aut probabili; ita ut operans certus sit, quod agibile conforme sit fini intento; sed non potest operans ita esse certus, si præcisè judicet signatè esse probabile, quod illud agibile sit conforme, si non judicet probabiliter illud esse conforme in re: ergo non sufficit probabilitas signatè, sed saltem requiritur exercitè, quæ exercitè judicet probabiliter illud esse verum in re. Minorem probat; quia de pluribus obiectis, vel assertis judicamus signatè esse probabilia, & simul judicamus esse falsa, & dubitamus, an falsa sint; nam probabilitas stare potest sine veritate: & practica probabilitas sine veritate practica, sicut probabilitas speculativa sine veritate speculativa.

Sed contra 1. quia sibi contradicere admittit. N. tendo hic simultatem probabilitatis, quam 40. alibi negat. Contra 2. quia etiam de iudiciis exercitè probabilioris veritate dubitare possum; neque enim per hoc quod aliquid sit

mihi probabilis, ideo est in re verum; sed ad summum est mihi verum: ergo non sufficit signata probabilitas, seu certitudo de probabilitate. Contra 3. quia certitudo veritatis non est componibilis cum probabilitate veritatis; componibile autem est iudicium reflexum evidens de probabilitate veritatis; ergo hoc melius est. Ad argumentum patet ex dictis paulò antè.

SECTIO II.

Argumenta M. Passerini, M. Mercori, M. Gonet, Candidi, & P. Elizalde.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Argumentum, & contradictio M. Passerini, n. 41. 42. 43.
Arguit Gonet, quia affirmatio esset causa negationis, n. 44.
Ejus doctrina, & praxis invicem contradicunt, n. 45. 46.
Aliud certitudo de probabilitate, aliud de honestate; ea stare potest cum incertitudine honestatis, n. 47.
Arguit Candidus, quia cum iudicio scientifico de probabilitate licentia stat aliud scientificum de probabilitate non licentia, atque adeo licentia manet dubia, n. 48. 49. 50.
Bordonus cedit argumento, n. 51.
Insto argumentum ex Deiparà, & Angelis, n. 52.
Insto specialiter contra Bordonum, n. 53.
Dico, quòd licet per iudicium scientificum non iudicetur directè, & immediatè veritas licentiae; iudicatur tamen mediatè, & reflexè, quòd satis est, n. 54. 55. 56.
Nego, quòd maneat dubius de licentià, qui suspendit directum, & habet reflexum; est enim certus reflexè de illà, n. 57.
Et licet sit dubius de licentià, ut est in re, non tamen ut est in mente; nam ad licitam actionem satis, quòd sit certo probabilitas licita, n. 58.
Demum etsi licentia esset dubia, est tamen certa probabilitas illius, quòd satis est, n. 59.

dicat se non curare de opposita; nam saepe docui, quòd nullam opinionem sequi possum, nisi sit certò; tum absolute, tum relative probabilis: ergo indagar probabilitatem oppositam. Adde argumentum non esse ad rem, si loquatur de opinione subjective probabilis; non enim hic quærimus, an satis sit iudicium directum subjective probabile, sed an satis sit iudicium reflexum certum de probabilitate opinionis, juxta quam operari volo.

Vel loquitur de probabilitate objective sumpta; tunc autem sibi contradicit, nam supra meà disp. 22. sect. 2. §. 2. plura dedi ex eodem M. Passerino, quibus affirmat satis esse iudicium reflexum de probabilitate veritatis, suspensò omni directo de veritate. Si autem, juxta eundem, satis est, vel iudicium reflexum de probabilitate veritatis, vel iudicium directum subjective probabilis, (nam est Probabiliorita) eo ipso cum, juxta nos, qui Probabilistæ sumus, satis sit iudicium directum subjective certò probabile, etsi minus, eo ipso satis quoque erit solum iudicium reflexum certum de probabilitate, etsi minori, ipsius veritatis. Tota enim difficultas, siqua est, refunditur in hoc, quòd probabilitas sit minor, sive illa stet subjective, sive objective tantum in mente; sed quòd probabilitas sit minor, non obest, nam fufiffimè solvimus, quæ stant contra usum minus probabilis minus tutæ: ergo si satis est, ut ostendimus, certa probabilitas minor subjective sumpta, ut rectè operemur, satis quoque erit certa probabilitas minor objective sumpta; id est, si satis est, ut licitè operer, quòd assentiar objecto minus, certo tamen probabilis; satis quoque erit, ut licitè operer, quòd certò reflexè iudicem dari eam probabilitatem veritatis, & licentiae.

Objicies 2. ex M. Gonetò tom. 3. in *Dissert. N. Theol. de Probabilit. n. 41. & 42.* Si probabilitas reflexè cognita in aliquà opinione, seu si iudicium reflexum de probabilitate alicujus sententiæ excluderet formidinem de malitià morali opinionis, sequeretur, quòd affirmatio esset causa negationis, & possem rectè concludere, me non habere formidinem, & dubietatem de aliquo, quia de eo habeo formidinem, & dubietatem; hoc est absurdum; ergo & illud. Sequela probatur; quia formido, & dubietas sunt de essentia opinionis probabilis ex S. Thom. qu. 14. de Ver. s. The.

Sed contra 1. quia ejus doctrina ejusdem Gonetì praxi contradicit; supra enim disp. 22. sect. 2. §. 2. plurima loca dedi, in quibus M. Gonetus suspendit omne iudicium de

Ffij verita-

N. 41. M. Pass. Objicies 1. ex M. Passerino tom. 1. in 2. qu. 186. n. 252. Qui solam probabilitatem opinionis sumit pro regulà agendorum, dicit, satis mihi est, quòd opinio, quam opinor, sit probabilis, de opposita non curo, & nolo eam indagare: ergo peccat.

N. 42. Sed contra; quia vel loquitur de opinione subjective probabilis; tunc autem falsum est, quòd qui assentitur opinioni probabilis, Tom. III.